

5+ 6 / 89

IDIBVS DECEMBRIBVS

MCMLXXXIX



RVMOR VARIVS



RVMOR VARIVS

RVMOR VARIVS a SOCIETATE LATINA
TVRICENSI in aedibus AKADis
editur.

RVMOR VARIVS sexies in singulos
annos editur.

Editio: CCCXXX

Pretium subnotationis: (annuum)

In Helvetia	Fr. 14.--
In Germania	DM 20.--
In Austria	öS 140.--
In ceteris	
Europae terris	Fr. 20.--
In terris trans	
maria sitis	U\$ 18.--

Singula specimina qui rogaverit,
gratis accipiet.

Collegium redactorum:

Udalricus Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Impressum et dispositionem rerum
legentibus publicandarum curat:

Christina Portner

Typographaeum:

Copy Quick, Zürich

Epistulae, mandata mittenda sunt
ad domum editoriam:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Institutum pecuniarium:

Schweizerischer Bankverein
Zürich-Oerlikon
RVMOR VARIVS P7-642.719.0

RVMOR VARIVS wird von der SOCIE-
TAS LATINA TVRICENSIS unter dem
Patronat der AKAD herausgegeben.

RVMOR VARIVS erscheint 6 mal
jährlich.

Auflage: 330

Abonnementspreis: (jährlich)

Schweiz	Fr. 14.--
Deutschland	DM 20.--
Oesterreich	öS 140.--
übriges Europa	Fr. 20.--
Uebersee	U\$ 18.--

Einzelne Probenummern können
gratis bezogen werden.

Redaktionsteam

Ulrich Aeschlimann
Dr. Emanuel Bernard
Dr. W. F. Ebel (AMICUS)
Barbara Maier
Martinus Meier
Daniel Weissmann

Graphik und Layout:

Christine Portner

Druck:

Copy Quick, Zürich

Verlagsadresse:

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
CH-8050 Zürich

Bankverbindung:


Schweizerischer Bankverein
Zürich Oerlikon
RVMOR VARIVS P7 642.719.0

PRÆFATIO

Amicae et amici nostri haec legentes!

Hic quoque fasciculus RUMORIS VARIII diutius erat expec-
tandus vobis. Sed, ut animadvertistis eum manibus tenentes,

amplior aliis
fasciculis est:
Sunt enim duo
fasciculi in uno,
numeri quintus et
sextus. Hanc con-
iunctionem fieri
decrevimus, ut
tandem retarda-
tioni in edendo
finem imponere
possemus. Multa
et varia ergo du-
plice multitudine
invenietis legen-
tes! Cernere pot-
eritis, quam cito
res gestae histo-
riae nonnumquam
procedunt: Si
symbolam de con-
dicionibus in Da-
coromania legetis
non multum tempus
ante scriptam,
nunc non ignora-
tis interea regi-
men Ceausescu
tempestate irae
populi excisum
esse et crimina
dictatoris in eum
ipsum recidisse.




Hanc candelam pinxit
Patricia Hermann

Illi, quibus aenigmata solvere placet, tandem scient, qui praemia accepturi sint, et simul novum aenigma solvendum invenient.

Denique mihi addendae sunt preces domus editoriae, ut symbolae multae nobis mittatis ad publicandum, ut novo anno RUMOR VARIUS iterum floreat! Magna enim ex parte commentarii diurni ex sermonibus cum legentibus hausti et legentium aliorum inter alios valent.

Luceat vobis lux nostrae candelae! Sit vobis annus venturus MCMLXXXIX felix, faustus fortunatusque!

Valete!



Daniel Weissmann



Radiophonicae regulares emissiones Latinae Finorum

Epistula Professoris Thomae Pekkanen Helsinkienses:

Thomas Pekkanen Caelesti Eichenseer s.p.d.

Redactio Scientifica et Culturalis Radiophoniae Finnicae Generalis nuntios Latinos emittit septimanatim per primum rete radiophonicum. Id fit Veneris die hora Finnica a.m. octava et dimidia. Redactores, qui textum Latinum nuntiorum praeparant et legunt, vicissim sunt Thomas Pekkanen et Gregorius Pitkäranta. Hae emissiones tantum in terris Scandinaviae audiri possunt.

Eidem nuntii per undas breves in totum orbem terrarum emittuntur diebus et horis et undis, quae in folio adiuncto indicantur.

Speramus fore, ut exemplo Finorum adducti etiam aliarum terrarum administratores nuntiis Latinis emittendis propitiores fiant.

Helsinki die 25. 9. 1989

Thomas Pekkanen

Singulare miraculum huius anni 1989ⁱ factum est et effectum. Id enim quod viri Vaticani inde a Concilio Vaticano Secundo (1962–1965) ad effectum adducere non iam valuerunt, quod praepositi complurium stationum radiophonicarum Germaniae Confoederatae repudiaverunt, quod neque in Francogalliae neque Hispaniae neque Italiae stationibus radiophonicis, ut de aliis Europae continentiumque transmarinarum taceamus, fieri non potuit, id ipsum in Finnia, Scandinaviae re publica boreali, quae regio septentrionalis limite Romano numquam cingebatur neque umquam tangebatur, felicissime fieri coepit.

Fiunt enim illinc septimanatim radiophonicae emissiones Latinae. Quae quidem emissiones in ipsa Finnia, omni die Veneris, hora octava et dimidia (8.30) ante meridiem radiophonice diffunduntur, quales extra Finniam vix percipi vel excipi possunt. Sed eadem emissiones radiophonicae Latinae etiam diebus dominicis (sive solis) et diebus lunae ita in undis brevibus fiunt, ut per totum orbem terrarum percipi et audiri possint, si satis bona instrumenta radiophonica, id est exceptoria instrumenta radiophonica undarum brevium una cum antennis bonis idoneeque positis et dispositis, percommode percipi et excipi et audiri possint. Haec res feliciter incohata si resonantiam bonam habuerit, id est effectum prosperum prosperioremve exseruit, post experimenta totius anni in posterum quoque prosperrime prolongari poterit.

Hunc in modum discipuli scientia Latinarum litterarum antiquarum convenienter imbuendi scient et experientur eandem linguam antiquam etiamnunc esse modernam et communem vereque dignam, quae discatur. Porro homines Latine docti delectabiliter animadvertent scientiam Latinam interdum satis laboriose acquisitam scriptis auctorum antiquorum cognoscendis plurimum profuisse, sed eandem scientiam peritiamque sermonis Latini etiamnunc esse fontem informationum, percipiendarum, facultatem communicationum humanarum cognoscendarum, causam gaudiorum quoque incomparabiliter accipiendorum.

Ceterum singulariter ineffabiliter gaudemus, quod in Finnia hoc exordium emissionum radiophonicarum Latinarum exhibetur, cum Finni in sua ipsorum lingua etiam tam longas vocales quam breves vocales habeant, easque in loquendo

bene observent. Fortasse autem fieri poterit, ut hae emissiones ibidem magnetophonice colligantur et etiam in modum phonocasetarum venalium eis praebeantur, qui emissiones ipsas propter obstacula qualiacumque audire nequeverunt.

Erigite ergo aures vestras teretes et eruditas!

Percipite nuntios Latinos!

Narrate ceteris linguam Latinam denuo exstitisse audibilem! Audite et auscultate verba Latino sermone et antiquo et hodierno salutariter prolata, quibus vis sermonis pronuntiati et enuntiati denuo plene resonat, quibus sonis et animi tanguntur et mentes informantur et scientia plausibiliter consummatur.

Saraviponti, die 2° Octobris anno 1989°

Caelestis Eichenseer

Plura qui de hac re scire voluerit, epistulas interrogatorias mittat ad ipsum Professore Thomam Pekkanen Helsinkiensem, cuius inscriptio cursualis est haec:

Prof. Tuomo Pekkanen

Adolf Lindforsin tie 3 B 74

SF - 00400 Helsinki 40

Schema autem temporis emissionum et longitudinis undarum brevium hoc est, quod sequitur:


Omnes horae in tempore universali mundi (quod antea tempus 'Greenwich' nominabatur; Anglice breviter UTC), indicatae sunt, duabus horis posteriores quam horae Helsinki.

Die Dominico:

- 09.51: Asia orientalis, Australia 15245 kHz/19 m; 17800 kHz/16 m.
14.55: America septentrionalis 15400 kHz/19 m; 21550 kHz/13 m.
17.26: Europa orientalis 9640 kHz/31 m; Africa et Oriens mediano 15185 kHz/19 m; 11850 kHz/25 m.
22.21: Asia orientalis 11755 kHz/25 m; Europa septentrionalis 6120 kHz/49 m; 963 kHz/312 m; 558 kHz/538 m; 254 kHz/1181 m.

Die Lunae:

- 00.21: America meridiana et septentrionalis 11755 kHz/25 m; 9645 kHz/31 m; Europa septentrionalis 6120 kHz/49 m; 963 kHz/312 m; 558 kHz/538 m; 254 kHz/1181 m.
07.51: Europa occidentalis 11755 kHz/25 m; 9560 kHz/31 m; Europa septentrionalis 6120 kHz/49 m; 963 kHz/312 m; 558 kHz/538 m; 254 kHz/1181 m. (Tempus emissionis est 7.21 tempus orientale die Dominico vesperi (Anglice: Eastern Standard Time, EST)).
12.11: America septentrionalis 15400 kHz/19 m; 21550 kHz/13 m; (Tempus regionale: 7.11 tempus orientale (Anglice: Eastern Standard Time, EST)).
13.21: America septentrionalis 15400 kHz/19 m; 21550 kHz/13 m; (Tempus regionale: 7.21 tempus centrale (Anglice: Central Standard Time, CST)).
14.21: America septentrionalis 15400 kHz/19 m; 21550 kHz/13 m; (Tempus regionale: 7.21 tempus montanum (Anglice: Mountain Standard Time, MST)).



**Iosephus Antonius Caelestis Eichenseer (Querculacustris),
vir de Latinitate optime meritus,
sexaginta quinque annos natus**

Die Martis 1° mensis Iulii, anno 1924° Scaldilongo in vico prope Forum Vicum Summum in regione Algoviae (vulgo Theodisce: Schöllang bei Markt Oberstdorf, Allgäu), Iohanne Baptista Reginaeque Maria parentibus natus, Caelestis nunc iam diem egit natalem sexagesimum quintum. Occasione ea iucundissima tandem data hoc die sollemni gratulationes offerre summas et optumas nostrum esse puto. Caelestibus autem die Mercurii 2° mensis Iulii anno 1924° in ecclesia parochiali Scaldilongina baptizatus indeque praenominibus Christianis atque civilibus Iosephus Antonius nominatus est.

Anno 1930° Caelestis ludum litterarium sive elementarium Scaldilonginum ingressus, anno 1937° scholam progymnasialem Ottilensem Sanctae Ottiliae in archiabbatia in regione Landsbergae ad Licerem, anno 1940° in gymnasium humanisticum Dillingense Dillingio ad Danubium in oppido, anno 1941° in gymnasium humanisticum Cambodunense Camboduni Estionum in oppido ad Ilaram transgressus est.

Mense Octobri anno 1942° - 18 annos commodum natus - Caelestis ad militiam convocatus comprehensusque copiis nuntiorum sive radiotelegraphistarum (Nachrichtentruppen) adscriptus est, mense Iulio anno 1945° Bedaci in oppido Bavariae Superioris (Burghausen / Oberbayern) per Americanos - bello pancosmio secundo tandem peracto - dimissus in patriam revertit et in vitam civilem rediit.

Mense Iunio anno 1946° in gymnasio humanistico Ottiliensi Sanctae Ottiliae in archiabbatia in regione Landsbergae ad Licerem (Erzabtei Sankt Ottilien, Kreis Landsberg am Lech) examen maturitatis feliciter superavit.

Die 24° mensis Augusti anno 1946° in archiabbatiam Ottiliensem ingressus, die 6° mensis Septembris anno 1946° in noviciatum canonicum receptus, die 8° mensis Octobris anno 1950° vota sollemnia monachus Ordinis Sancti Benedicti (Nursini) nuncupavit, die 29° mensis Martii anno 1952° in ecclesia archiabbatiali Ottiliensi tandem sacerdotio auctus nomen monachile Caelestem accepit, Kalendis autem Iuliis - die natali exacte 31°! - anno 1955° in Universitate studiorum Ludovico Maximiliana Monaci in urbe Bavariae in doctores sollemniter promotus doctorque theologiae creatus est. Die denique 12° mensis Aprilis anno 1973° pro meritis uberrimis abundantibusque sibi de Latinitate diu iam conciliatis in Romanam Academiam Latinam Internationalem honorificentissime est cooptatus.

Omnia autem ea merita, quae Caelestis tam multis decenniis interea iam circumactis pro Latinitate colenda et propaganda deinceps ubivis terrarum gentiumque sibi iam conciliavit, copiose enumerare non solum supra vires nostras, sed verum etiam supervacaneum esset, quod unusquisque lubenter mihi concedat.

Re et veritate nimirum occasione diei natalis iam sexagesimi quinti oblata grates laudesque maximas referre illi viro magnifico, amico sodalique nostro optumo, sacerdoti summa

indole doteque praedito divinoque tamquam spiritu instinctuque concitato, patri dignissimo ordinis Sancti Benedicti (Nursini), doctori theologiae, docenti Latinitatem vivam in Universitate Saraviensi Saraviponto in oppido, praesidi spectatissimo Societatis Latinae (Germanicae) Saravipontanae moderatorique "VOCIS LATINAE" clarissimo, cuius fama iam per omnes propagata est terras, propugnatori fortissimo Latinitatis vere vivae, viro litterato, investigatori summis ingenii facultatibus ornato antiquitatis, qui interiores et reconditas litteras scrutatur scientiasque paene omnes pervestigat, cultori curatorique religioso, diligentissimo non solum linguarum antiquarum, sed etiam novarum vernacularum investigatori, nobis maxime cordi animoque est.

Caelestis autem, qui vir genere singularis, qui nos unice docuit linguam Latinam, qui aperuit nobis denuo miracula antiquitatis, qui explicavit explanavitque nobis elegantiam non solum Latinitatis antiquae, sed etiam amplificavit Latinitatem vere vivam, qui nobis condiciones, vias arcanaeque linguarum aperuit, qui adeo perfecte hodie Latine loquitur, ut vir atque etiam vere Romanus antiquitatis ipse vix melius Latine loqui sermonicarique Caelestem vi dicendi aequiperare potuisset. Vir ille cumprimis summa indole praeditus parem omnino habet neminem neque in patria Germanica neque in terris Europae neque in ubivis terris totius orbis terrarum. Exitus acta probat!

Caelestis autem, qui nunc decimum tertium lustrum absolvit, ut Deo Patre Christoque Filio Spirituque Sancto deprecatoribus et nunc et iugiter vivet et floreat beneque feliciterque proveniat in dies magis magisque ad maiorem Latinitatis gloriam. Qui vir, qualis et quantus, Caelestis, diem suum festum anniversarium sexagesimum quintum genialiter agat celebretque. Macte virtute, macte etiam ingenio! In ultima laudatione sexages quinque grates laudesque agimus persolvimusque ut munus natalicium illo viro, cuius dies natalis sexagesimus quintus sollemniter celebretur!


AMICUS



ADITUS AD TURRIM OBLIQUAM PISAE NON IAM LICEBIT

Clarissima est illa turris obliqua in urbe Italiae Pisa saeculo 12^o circiter exstructa. Quam adhuc ascendere viatoribus licebat et aspectu in campum miraculorum (Italiane: Campo dei miracoli) frui. Sed constat turrim quotannis paululum magis inclinari. Propterea aliquamdiu iam apud magistratus disputatur, utrum porro viatoribus turrim ascendere liceat an id sit nimis periculosum et turri et viatoribus. Octobri huius anni exeunte minister Italicus operibus publicis curandis, Giovanni Prandini, pronuntiavit gubernationem Italicam aditum ad turrim interdicturum securitatis causa. Tum Pisani irati ministro obiecerunt, quod nimis pavidus hoc decrevisset, et ostenderunt periegesi fatale fore, si viatoribus ex omnibus terris mundi non iam liceret turrim ascendere. Minister promisit rem ab expertis iterum inquisitum iri. Hi inquisitionibus peractis aestimaverunt rerum condicionem annis proximis peiorem factam esse et aditum ad turrim publico non iam concedi posse.

Tum Prandini per decretum statuit praesidem urbis Pisae aditum ad turrim interdicere. Sed tum minister culturalibus rebus curandis, Facchiano, intercessit dicens a se decerni debere, quid esset faciendum, quod turris monumentum culturale



Turris obliqua

esset. Ministris rixantibus tandem praeses urbis Pisae statuit turrim non iam esse ascendendam et simul a magistratibus Romae poposcit pecuniam ad stabiliendam turrim magis magisque inclinantem. Hanc restaurationem 7 milionibus francorum Helveticorum constare experti existimant. Quando turris, si omnino umquam, iterum conscendi possit, incertum est. Non oportet prophetam esse ad praedicendum hanc restaurationem non menses, sed annos durare. Itaque viatoribus patienter ferendum erit per multum tempus sibi turrim non conscendam, sed tantum spectandam fore.

Daniel Weissmann



De Horatio poeta vitam in Sabinis degente

Horatius poeta, quamquam magna ex parte vitam Romae agit, et virorum praeclarorum rei publicae amicitia fruitur, vitam rusticam maxime diligit. Clade apud Philippos accepta Horatius iuvenis, qui Brutum secutus erat, fundo patrio in Apulis sito privatus est. Complures annos Romae munere scribae fungitur, tum fortuna ei favet. Anno tricesimo primo vel secundo a. Chr. n. Maecenate praedio in Sabinis sito donatur. Maximo gaudio afficitur. Fundum suum quidem nobis describit, sed sermone tam communi utitur, ut viri, qui in antiquitatis studiis versantur, magna cum difficultate villae ruinas inveniant. Postremo, aetate nostra, ruinae repertae sunt. Reperiuntur in valle Digentiae, qui est rivus in Anionem fluvium influens. Digentia rivus hodie Licenza appellatur. Vici locis his proximi Vicovaro et Bardela sunt. Horatii temporibus eis nomina Variae et Mandelae erant. Poeta ipse nobis narrat de villa sita in clivo prope fontem frigidum. Post villam silva patet. Horatii villa sumptuosa non est. Splendore non aequat villas lautissimas oppidi Tiburis. Vallis Digentiae tamen quinque focos continet, quorum incolae coloni sunt. Horatius igitur quinque familiarum patronus est. Praeter villam, quam supra commemoravi, poetae sunt silvae, prata, agri et octo servi (Serm. I, 7, 118).

Horatius menses aestivos in Sabinis deget. Narrat quoque de vesperibus autumnalibus. Convivae eius vilici vel possessores parvorum agrorum sunt, qui eodem modo ac poeta vivunt. Horatius persaepe in carminibus epistulisque convivorum mentionem facit. Cum amicis ei magnus usus est, nam nec uxorem neque filios habet. In Sabinis carminum libros tres epistularumque librum primum conscribit. Iam nomen habet et amicis minoribus natu bona consilia dat.

Carminum liber primus permultas exhortationes bibendi et amandi continet. Poeta ipse diebus festis cithara canere videtur. Modus vivendi poetae in libri primi carmine tricesimo primo nobis proponitur:

Autumno anni vicesimi octavi a. Chr. n. Augustus princeps Apollini deo templum in monte Palatino exstructum dedicat gratias agens pro victoria apud Actium reportata. Horatius ante statuam marmoream citharoedi Apollinis sacrum facit. De patera vinum novum in aram fundit. Donum eius sane modicum est, poeta autem fiducia sui elatus vatem se nominat. Quid ab Apolline petit? Non petit segetes fertiles Sardiniae, non Calabriae armenta, quae sub sole aestuoso pascuntur. Non poscit Indiae divitias velut aurum et ebur. Non postulat rura, quae in ripis Liris fluvii patent. Erant sane ager Falernus et mons Massicus et vinea Calena clarissima. Homines divites velut mercatores immodice vivunt. Vina culillis aureis exsiccant. Horatii convivae autem vinum vile montium Sabinorum modicis cantharis potant (C. I, 20, 1). Tamen mercator dives a poeta non vituperatur, est enim "dis carus" (C. I, 31, 13). Ter et quater anno usque ad fines ultimos terrarum navigat. Audax superbusque est. Sed "impune" navigat. Poeta loco hoc sermone satirico non utitur, adhibet tamen levem ironiam. Horatius ipse victu simplici contentus est: "Me pascunt olivae me cichorea levesque malvae" (C. I, 31, 15-16).

Modestusne vero est? Ab Apolline non petit bona externa, petit autem bonam valetudinem et corporis et mentis. Poscit senectutem iucundam. Orat, ne umquam cithara, id est poetico vigore, careat. Petit igitur bona superiora, quae rebus externis anteponit. Cithara poetae deo citharoedo par esse videtur.

Barbara Maier

Nonnumquam res mirae fiunt

Haud ignoratis primo saeculo post Christum natum eruptionem magnam ignium Vesuvii monitis factam esse. Illo tempore magnae partes urbis Pompeiorum deletae sunt. Permulti homines interfecti sunt. Sed nonnumquam res mirae fiunt. Adulescentes septem staturae formosae magnique ingenii casu in balneis erant, cum ignis lapidesque in urbem caderent. Miro modo corpora eorum ibi conservata sunt. Quodam die, multis saeculis post, nonnulli viri docti vitam veterum Romanorum cognoscendi causa in balneis terram effodere incipiunt et in specum aliquem incidunt.

Nihil autem inveniunt praeter aliquas testas. Itaque labore fessi vesperi domum eunt. Noctu autem adulescentes septem, qui per multa saecula somno longo dediti in hoc specu manserant, ad vitam revertuntur. E specu exeunt, sed in conspectu tot ruinarum unus ex iis: "Quid agamus?" inquit, "miseri sumus, nam omnia bona perdidimus." Secundus: "Noli desperare", ait, "immortales nos adiuvabunt." Tertius: "Solem orientem exspectemus. Melius nobis erit." Et puer recte dixit.

Mox currus Phoebi Apollinis e mari evehitur. Et deus pueros desperatos adit: "Nolite spem demittere", inquit, "velim quidem mecum in paradisum terrestrem proficiscamini. Ibi puellae pulcherrimae hospitaliter vos accipient." Et adulescentes magno gaudio affecti, non iam fessi, vehiculum dei ascendunt. Magna cum celeritate iter faciunt. Postremo ultra septem montes in Helvetiam perveniunt. Ante aedes gymnasii Theresiani Ingenbohlensis currus Solis consistit. In schola autem discipulae quintae classis magna cum diligentia linguam Latinam discunt. Cum autem Phoebi currum videant, linguae Latinae oblitae ad fenestras advolant ad iuvenes formosos spectandum. Et puellae exclamant: "Quis estis et unde venitis, adulescentes?" Iuvenes autem magno amore incitati, praesertim cum diutissime nullas mulieres vidissent, ad fenestras apertas advolant et "Salvete, optimae, aiunt, libenter vobis responsum dabimus. Venimus enim ex urbe Pompeiorum..." et narrare incipiunt, quae supra diximus.

Puellae autem magna cum benignitate: "Nobis grati et accepti estis. Quietem capite hac in domu hospitali!"

Iuvenes autem: "Nonne mavultis nobiscum proficisci? Proficiscemur in futurum." Puellae cupidae itineris faciendi ad vehiculum properant. Exclamant: "Vale, magistra! Alio modo linguam Latinam discere malumus. Futurum nobis erit!" Et iam vehiculum ascendunt. Magistra autem valde irata: "Tace-te, stultissimae! Iubeo vos hic manere, iuvenes enim huc advenerunt, ut me secum efferrent." Et iam magistra vehicu-lum ascendit. Omnes puellas e curru expellit, Phoebus adiu-vante. Puellae capitibus demissis in scholam revertun-tur. Magistra autem eas ultimo manus signo salutatur. Iuvenes tristibus vultibus ad puellas respiciunt. Iterum iterumque exclamant: "Heu nos miseros, tot puellae formosissimae nobis ereptae sunt!"

Phoebus Apollo autem equos incitat. Ecce vehiculum iam e conspectu aufertur. Numquam alias magistra discipularum visa est.

Ex eo tempore autem discipulae solae linguae Latinae studere debent. Nonnumquam de re desperant et malae fortunae culpam in septem adulescentes transferunt.

Discipulae classis quintae gymnasii Theresiani



Iterum de hymno nationali Helvetiae pristino

Cum mihi, cari legentes hymnus noster nationalis hodiernus magis placeat quam pristinus - primum propterea, quod non de bellis neque de heroismo quodam falso atque longe late-que exaggerato, sed de Deo nostraque in eum fide humili narrat, deinde, quod ei melodia est singularis et originalis -, tamen mihi pauca de illo subiungere et adnotare permittatis velim. AMICUS enim noster, gigas ille latinita-tis maximus et ingentissimus quoad et multitudinem textuum a se compositorum et vocabula usitata, hymnum nationalem Helveticum pristinum, cui titulus "Rufst du, mein Vater-land", in RVMORIS VARIi numero quarto anno 1989° edito verbis Latinis reddidit.

Quem quamvis equidem numquam vituperare sive reprehendere ausus erim, tamen una res mihi parvum prospera esse vide-

tur: Versio enim "AMICALIS" - ut ita dicam - bene Latine sonet licet, sed cantari omnino non potest, quia AMICUS in vertendo carmine saepe neque numerum syllabarum linearum singularium neque rhythmum, immo interdum ne rimas quidem observavit. Qua de causa egometipse novam hymni nationalis pristini versionem Latinam composui, quam neque melius neque Latinius sonare, sed cantabiliorem esse affirmo. Utrum ita sit necne, Vos, cari legentes, et Tu, AMICE op-time, ipsi iudicate!

Cum vo-ces, pa-tri-a, en no-stra a - ni-ma

se-que-tur te. Sal-ve Hel-ve-ti-a! Ti-bi sunt

ge-ne-ra ut e-rant pri-sti-na in a-ci-e.

2. Quo loco Alpium
tibi praesidium
Deus non dat,
stamus ut saxa nos,
quos numquam timidos
non mors intrepidus
peragitat.

3. "Liber in saecula!"
sint, quae vocabula
producat cor.
Liber, qui mori scit,
liber in caelum it,
qui Tellus praeterit
non reductor.

4. Sed cum pax rideat
bellique taceat
insana vox,
struamus patriae
fortunam liberae
et armis vacuae
gaudentes mox!

Martinus Meier

MORTES

Dolores Ibárruri, dicta 'La Pasionaria'

Die 10^o mensis Novembris anni 1989¹ in urbe Madrid in Hispania Dolores Ibárruri, appellata 'La Pasionaria', annos 94 nata defuncta est. Celeberrima propugnatrix et in bello civili Hispanico et tempore post illud bellum contra regimen fascisticum crudelissimum dictatoris Franco, nominati 'Generalissimo', fuit.

Nata est Dolores Ibárruri die 9^o mensis Decembris anni 1895¹ in vico Basco nomine Gallarta. Orta e familia operaria, cui multi liberi erant, usque ad annos 21 nata rebus politicis non studebat. Artem suendi



didicit et nonnullos annos negotio famulae fungebatur. Nota erat in suo vico propter religiositatem suam.

Anno 1916^o Dolores Ibárruri operario, qui in metallis Asturiae regionis laborabat et ei cogitationes classium dimicationis (1) exposuit, nupsit. Eodem studio, quo antea fidem ecclesiae catholicae coluerat, Dolores tum cogitationibus socialismi incubuit. Perita scribendi symbolis in commentariis periodicis syndicati (2) vulgatis mox nota erat. Pseudonymum eius religiosum 'La Pasionaria', quo usa nonnullas symbolas in hebdomada sancta publicaverat, brevi tempore notius erat quam nomen civile eius.

Anno 1921^o factio communistica Hispanica condita est, cui 'La Pasionaria' statim se adiunxit. Forti animo pro rebus operariorum pugnavit. Anno 1930^o comissionis principalis (3) particeps facta est. Annis sequentibus pluries in carcerem ducta est. Prima peregrinatione in Rem Publicam Sovieticam facta 'La Pasionaria' revolutionem in regione Asturia adiuvit. Maximam autem admirationem et auctoritatem non solo in Hispania sibi peperit, quod maxima humanitate et studio liberos curavit, qui parentes in pugnis amiserant.

In parlamento Hispanico republicano 'Cortes' nominato cum erat legata Asturiae regionis, 'La Pasionaria' etiam oratricem eloquentissimam se praebuit.

Quanta pugnatrix forti animo magnoque impetu fuerit, in bello civili apparuit, cum orationibus ardentibus in emissionibus radiophonicis et in contionibus politicis contra fascistas habitis et amicos et inimicos moveret. (Notissimum est illud: "No pasarán!", Latine "Non pervadent!").

Semper nigra veste induta (quasi maerens unam milionem mortuorum belli civilis) velut mater pro liberis periculis circumventis pugnans et milites in fronte visitabat et pala rastrisque capto in fossis fodendis eos adiuvit. Itaque exemplum optimum resistentiae republicanae contra fascismum exstitit.

Anno 1939^o cum Franco e bello civili victor procedens regimen fascisticum crudelissimum institueret, 'La Pasionaria' in exilium in urbem Moskau abiit. Ibi, in Re Publica Sovietica, principatum factionis communisticae Hispanicae suscepit. Numquam contra dictaturam fascisticam pugnare desiit, et per multos annos adversaria vera dictatoris Franco fuisse dicitur.



'La Pasionaria' oratrix

Anno 1977° Franco mortuo et fascismo tandem finito in Hispaniam revertit 'La Pasionaria'. Iterum legata regionis Asturiae in 'Cortes' missa est. Erat praeses honoris causa factionis communisticae, sed non iam magna potestas in rebus gerendis ei fuit. Nunc minus propter programma politicum illi egregiae mulieri, 'La Pasionaria', in Hispania moderna, in qua potestas factionis communisticae magis magisque minuta est, admiratio et auctoritas tribuitur, sed propter pugnam eius pro oppressis hominibus, propter resistantiam interritam contra fascismum, propter constantiam, qua semper fidem suarum cogitationum conservabat. Remanebit memoria mulieris, quae non ex media parte historiam Hispaniae modernae sua sorte et vita dolorose passa est.

Daniel Weissmann

VOCABULARIUM:

1 classium dimicatio f


Klassenkampf/lutte des classes/class warfare/lucha de clases

2 syndicatus,-us m

Gewerkschaft/syndicat/trade union/sindicato

3 comissio principalis f


Zentralkomitee/comité central/Central committee/comité central



De rosarum miraculo

De Elisabeth, Ungariae regis filia et uxore lantgravii Thuringiae, multae legendae exstant. Quarum pulcherrima sine dubio est de rosarum miraculo.

Elisabeth, initio decimi tertii saeculi nata, iam prima aetate a patre, rege Ungariae, Ludovico quarto, Thuringiae lantgravio, desponsa est. Postquam lantgravio nupsit, magna libertate in pauperes utebatur, cum ipsa summa abstinentia esset. Cottidie pauperes cibo vestimentisque donabat. Persaepe ornamenta vendebat, ut miseros adiuveret. Ab omnibus "mater pauperum" appellabatur. Sub arce, nomine Wartburg, domum magnam aedificari iussit, ubi homines aegroti curarentur. Quodam die, medio hieme, mulier benigna de arce descendit, ut pauperibus aegrotisque auxilium ferret. Ancilla eius nomine Isentrud eam comitata est. In gremium Elisabeth cibum condiderat, nam Ludovicus coniugis liberalitatem haud semper probabat. Eo ipso die lantgravius domum revertens coniugi casu obviam venit. "Elisabeth", inquit, quid in gremio portas?" Elisabeth respondit, quod vox interior dici iusserat: "Domine, rosas in gremio porto." Tum Ludovicus: 'Quid', apud se cogitat, 'fieri id non potest! Medio hieme sumus.' Vidit quoque magnum numerum pauperum mulierem benignam sub monte exspectantem. Itaque: "Elisabeth", inquit, "monstra mihi rosas tuas!" Et Elisabeth sinum vestis aperit. Ecce rosae pulcherrimae fragrantissimaeque apparent! Quae aëra ita odorant, ut aviculae in



Hanc rosam pinxit Tania Alderson

arboribus sedentes, hiemis oblitae, suaviter cantare incipiant. Omnes circumstantes autem in miraculi conspectu mulieri genua ponunt.

Cum Ludovicus in terra sancta cecidisset, Elisabeth a mariti fratre nomine Henrico Raspe ex arce expulsa est. Habitum religiosum induit, dotis partem in pauperes distribuit.

Postea Henricum facinoris paenituit. Elisabeth oppido Marpurgio (Marburg) donata est. Quo in loco magnum aedificium construxit, ubi aegroti adiuventur.

Mortua est vicesimo et quarto anno aetatis et Marpurgii sepulta est. Cum mortua esset, multae aviculae super ecclesiam visae sunt. Tam suaviter canebant, ut omnes magna admiratione moverentur. Aves enim exsequias mulieris beatae prosequi videbantur.

Barbara Maier




Facinora dolosa AMORIS DEI



Ultio



"Estne haec sedes libera?"



Tiro ineptus




Lapsus in sagitta mittenda

Aenigma

QVO PRAEMIVM ACCIPI POTEST! QVODQVE AENIGMA RECTE SOLVTVM
ET RVMORI VARIO MISSVM AD SORTEM REVOCABITVR! DIES VLTIMA
IDIBVS FEBRUARIIS EST!

PRAEMIA SVNT: primum praemium LIBER
secundum et tertium praemium LIBELLVS



ad libram

- | | |
|-------------------------------------|--|
| 8 tempore matutino diu
quiescent | 20 aqua ad lavandum ido-
nea (Gen. pl.) |
| 13 stuporem | 23 vadant |
| 16 appropinqua | 24 in his vinum conservari
potest |
| 17 vesanus | |

- | | |
|---|--|
| 25 venti borei imprimis in
Aegaeo mari flantes
(Gen. pl.) | 41 viarum |
| 29 desidero | 42 Boeotio |
| 30 loca, in quibus panis
conficitur (Acc. pl.) | 44 vae! |
| 31 praebeo | 45 quaedam herba orientalis
(Gen.) |
| 32 praeceptum | 46 angustam |
| 33 auferatur | 47 funestus vel obscurus |
| 34 Nonae (breviter) | 48 contra |
| 35 deus inferorum Aegyptius
(Acc.) | 49 basiatis |
| 37 acinos ferenti (Dat.) | 52 carmina funesta Romanorum
(Nom. pl.) |
| 40 quaedam bestia (Dat.) | 55 incolae cuiusdam insulam
Cycladam (Acc. pl.) |
| | 56 curvatura |
| | 57 quae contendit (Perf.) |




ad perpendicularum

- | | |
|--|--|
| 1 pars navis velivolae | 18 pronomen possessivum
Latinum |
| 2 pars universi | 19 anonymus (breviter) |
| 3 aedificium ad frumentum
conservandum | 21 qui aquam portat (Dat.) |
| 4 qui in iudiciis a causi-
dicis defenduntur | 22 vocabulum, quo affirmatur
(Graece) |
| 5 sic | 26 vulnerat |
| 6 instrumenta lucem disper-
gentia (Dat. pl.) | 27 implicans |
| 7 fit, si cui bracchia
circumdantur | 28 direptio |
| 9 caelicolae (Dat.) | 30 mulierem |
| 10 idem (breviter) | 31 gens Graeca (Gen. pl.) |
| 11 e lana fila efficiam | 33 discernis |
| 12 scientiae de sideribus
(Dat. sg.) | 34 imperator Romanus (Gen.) |
| 14 philosophus Graecus do-
lium habitans (Gen.) | 36 foro: quoddam
forum Romae (Dat.) |
| 15 portus: locus in
Morinis situs (Abl.) | 38 pronomen possessivum
Latinum (Voc.) |
| | 39 pars corporis humani
(Dat.) |
| | 43 contrarium "summis" |

46 salutatio Latina
47 dicisne?
50 et
51 nisi
53 ecce
54 Augusti duo (breviter)



Hoc aenigma composuit Daniel Weissmann



De schola otiosa

Mense Aprili hebdomas ad studia dedita in oppidulo nomine Inter Lacus (Interlaken) locum habuit. Circiter DCCL magistri magistraeque in gymnasiis, academiis, universitatibus docentes ex omnibus partibus Helvetiae et ex aliis terris ad studia confluerant. Inter relatores egregios, qui mane feminas virosque cupidos audiendi et discendi sentiis diversis cogitationibusque delectabant, erat vir ardenti studio nomine Klaus Bartels, qui iam multos libros ad vitam veterum Graecorum Romanorumque pertinentes edidit. Docet nunc linguam Latinam et Graecam in quodam gymnasio Turicensi.

Ecce nonnullae sententiae viri illius in linguam Latinam a me - eheu, simpliciter - conversae:
Verbum "Schule, alias scuola, école, school" derivatus est a verbo Graeco "scholé (σχολή)", cuius significatio "otium" est. Quae res a magistris aetatis nostrae semper risu excipi solet. Scola nostra enim ad negotium pertinet. Aristoteles autem ille philosophus vitam hominum in otium et negotium partitus est. Otium vero ad pulchrum pertinet, quod vitam beatam cumulate explet. Negotium (nec...otium) autem ad res ad vitam necessarias pertinet. Otium apud Aristotelem primum locum tenet, praestat sane negotio: negotiosi ergo sumus, ut otiosi simus. Distinctio Aristotelis eadem non est ac nostra. Distinguimus enim laborem a

tempore vacuo (Freizeit). Persaepe autem magna pars temporis vacui apud nos negotium dici potest. Aristoteles affirmat otio sane cultu quodam opus esse. Cultus hic officium nobilissimum rei publicae est. Affirmat quoque indignum esse in otio velut in pace servili modo vivere. Conditio servilis vero significat quendam modum vivendi semper pendentem inter laborem, qui pertinet ad res ad vitam necessarias et tempus vacuum, quod aequae ad negotium pertinet. Nostrum ergo erit otium verum reperire, id est educationem eam, quae superet scientiam unius doctrinae (Fachwissen).


Quod facile dictu est! Schola nostra, temporis nostri effigies, otiosa esse nequit. Scholae futurae autem erit tempore laborandi restricto uti et verum otium reperire.

Barbara Maier




Facete lepideque dicta

"...et de his parvis cellulis canis cerebri adhuc nihil scimus nisi eas cottidie immensam copiam stercoris ineptiarumque producere posse."



Facete lepideque dictum



"Age, dicite! Quis vestrum iterum cum plantaribus locutus est?"



Cantemus, o amici!

HESTERNO DIE (YESTERDAY)

Yesterday
all my troubles seemed so far away,
now it looks as though they 're
here to stay
oh I believe in yesterday.

Suddenly
I'm not half the man I used to be
there's a shadow hanging over me
oh yesterday
came suddenly.

Why she had to go
I don't know
she wouldn't say.
I said something wrong
now I long
for yesterday .

Hesterno die
curae longe a me aberant,
at ex hodie
me non deserent
in diem credo hesternum.

Subito
non iam is sum qualis antea,
animus obumbrant nubila,
hesternum novi diem
subito.


Cur illa abire debuerit,
ego ignoro,
nam illa tacuit.
Ego dixi aliquid falsum,
nunc desidero
diem hesternum.

Yesterday
love was such an easy game to play,
now I need a place to hide away
oh I believe in yesterday.

Hesterno die
mi solebant arridere,
sed nunc cupio latere
in diem credo hesternum.

Hunc cantum a "Beatles" compositum in Latinum vertit:

Hanna Haas-Scheibler



Carmina natalicia

Infantes, venite

(Ihr Kinderlein, kommet....)

Textus Germanicus: Christophorus de Schmid (1768 - 1854)

Modulus: Ioannis Abrahamus Petrus Schulz (1768 - 1800)



In - fan - tes ve - ni - te, ve - ni - te mox -



dum, ad prae-se-pe i - te in hunc sta-bu-



lum. Vi - de-te quid noc-te sanc-tis-si-ma



sat heus pa-ter in cae-lis gau-dio no-bis dat.

2. Hic iacet nunc puer
in foeno, eho,
quem spectant Maria
Iosephque vero.
Pastores honesti
in genibus stant,
alto autem festi
angeli cantant.

3. Videte praesepti
noctu stabulo
in radio nitenti
lucernae, eho,
in puris linteis
caelestem parvum
et multo angelis
suaviorem, verum!

Versio Latina: AMICUS




SOLUTIONES

De solutiones nobis missis sortes coniecimus. Ecce illi,
qui primum, secundum, tertium praemium accipient:

<u>primum praemium:</u>	<u>secundum praemium:</u>	<u>tertium praemium:</u>
Fritz Wille	G. Wille	Bernhard Christen
Tannenweg 11	Meierhofrain 14	Alleestrasse. 3
3073 Gümligen	8820 Wädenswil	8590 Romanshorn

His tribus victoribus ex aenigmate cordialiter gratulamur!
Praemia, quae sunt liber (primum praemium), libellus (se-
cundum et tertium praemium), eis mox mittentur.

Rumoris Varii domus editoria



Facete lepideque dicta

Dispensator negotiis distentus

Dispensator quidam properat ad stationem taxiraedarum. "Quonam terrarum vehi iubes?" comiter eum interrogat taxiraedarius.

Tum dispensator distentus: "Id nihil interest, id nihil ad me pertinere arbitror; nam omnibus locis homines me urgeter exspectant!"

dispensator	Manager
taxiraeda	Taxi
taxiraedarius	Taxifahrer

AMICUS



Fabula de villa in somniis visa

(Secundum fabulam a scriptore André Maurois Francogallice relatum.)

Fabulae, quae sunt de larvis, ubique et semper animos hominum aut commovent aut terrent. Vobis narratura sum fabulam, quam scriptor haud ignotus, nomine André Maurois, Francogallice conscripsit:

Duobus annis ante, cum graviter aegrotarem, omni nocte eodem somnio vexabar. Rura peragrans incidebam in hortos magnos, in quibus villa muris candidis ornata sita erat. A sinistra villae pratum populis altis cinctum patebat. Florida et varia oculos meos delectabant. In via, quae ad villam ferebat, semper consistebam. Abmirabar muros candidos, tectum lapidibus sectilibus exornatum, scalarum gradus. Magna cupiditate villam visendi incensa gradus ascendebam. Ostium pulsabam iterum iterumque, clamans, vociferans. Aditu villae autem impediabar, nam fores clausae remanebant. Nocte exeunte semper somno excitabar ab omni spe destituta.

Cum somnium omni nocte idem esset, persuasum habebam me prima aetate villam hanc visitasse aut habitasse. Ex morbo conualescens consilium cepi villam quaerendi. Mense Sextili

in viam me do. Permultas regiones permigro, nusquam autem villam in somniis visam reperio. Mense Octobri Lutetiam redii omni spe abiecta. Tum, aliquo die, per quandam vallem haud procul ab urbe sitam iter faciens loca quaedam, quae numquam ante videram, agnoscere videor. Hic est silva, hic villa, hic pratum populis cinctum... Magno gaudio affecta gradus ascendo ostiumque pulso. Ecce famulus aetate iam provectus fores aperit. Tristi vultu me contemplans quaerit e me, quid velim. Equidem magno animi motu perturbata: "Miris rebus", inquam, "ad villam hanc adducor. Spero dominos villae me accepturos esse. Nam villam visere mihi opus est." Famulus: "Villa haec", inquit, "vero locanda est. Meum est conductoribus praedium monstrare." "Secunda fortuna utor", inquam, "dic mihi autem, quam ob rem domini villae e praedio tam pulchro excesserint." "Reliquerunt villam", inquit, "cum aliqua larva in hortis noctu apparere soleret." "Incredibilia narras", inquam, "incolae huius regionis superstitionibus obnoxiiis non iam imbuti sunt." "Tibi verum dico", inquit, "nam saepe noctu larvae in hortis incidebam." Ego autem maiore sollicitudine capta: "Fabulae sunt, merae fabulae." Tum famulus iratus: "Haec ego non rideo", inquit, "fabulae sane non sunt. Tu enim larva eras."

Barbara Maier



Facete lepideque dictum

I

Duo amici inter se colloquuntur. Alter: "Tua uxor publice te bigamistam nominavit." Alter: "Utraque?"

II

Maritus suscitatus in cubiculum currit et ad uxorem clamans: "Incendium ortum est, corculum! Quam celerrime domus nobis relinquenda est!" Tunc vox ex armario auditur: "Servate supellectilem quoque!"

III

Vicina: "Quomodo valet maritus tuus, Claudia?" Claudia: "Male. Heri sobrius domum venit, quod rarissime accidit, et canis eum momordit, quia eum non agnovit."

IV

Uxor maritum interrogat: "Dic mihi, quisnam est Ramona?" Maritus: "Est equa, de qua pignus posui (1) in proximo cursu equorum." Tum uxor: "Quam rem miram! Imagina te, haec equa hodie telephonavit."

V

Amicus: "Dic mihi, Paule, quomodo tuber maximum in capite tuo acceperis?" Paulus: "Est culpa uxoris meae, quae semper supellectilem mutat. Heri ebrius domum veni et me magno impetu in eum locum ieci, ubi antea cathedra longa (2) fuit."

VI

Petrus parvus: "Mater, peperci 50 nummos pro te." Mater: "Es amabilis, Petre. Et quomodo id fecisti?" Petrus: "Epistulam anonymam, quam vicinae scripsisti, ipse ei apportavi."


VII

Maritus crepulatus proxima die ad uxorem: "Da veniam, meae deliciae, quod hac nocte omnino ebrius et oculo caeruleo domum veni." Uxor eum consolata est his verbis: "Ut aperte dicam, oculum caeruleum nondum habuisti, cum domum revertisti...."

Daniel Weissmann

VOCABULARIUM:

1 pignus ponere de wetten/pàrier/to bet/apostar
2 cathedra longa f Sofa/canapé/sofa/sofá



QUAERENDUM EST, UBI THEODERICUS SACRE NUNC HABITET.....

In libello 2/89 RUMORIS VARIi tractationem titulo "De Robertii South, poetae Anglici, carmine cum titulo musica incantans (1655)" publicavimus. Habemus inscriptionem cursualem non iam validam Theoderici, qui eo tempore, cum suam tractationem nobis misit, in urbe Heverlee (Belgia) habitabat, sed interea domicilium mutavisse videtur. Itaque, care Theoderice, ut tibi respondere possimus, rogamus te, ut nobis novam inscriptionem cursualem tuam mittas. Vel si alius haec legens scit, ubi Theodericus Sacré nunc habitet, nobis, quaeso, nuntiet.

RUMORIS VARIi domus editoria

MORTES

Vladimir Horowitz

Die 5^o mensis Novembris anni 1989¹ defunctus est in urbe New York Vladimir Horowitz, unus ex maximis et illustrissimis clavicinibus (1) non modo nostri saeculi, sed etiam omnium temporum, 85 annos natus.

Singulari ingenio praedito nullae operum musicorum difficultates in clavicinando (2) ei insuperabiles erant (nonnumquam opera difficillima transcripsit et difficiliora reddidit). Sua arte mira et eximia animos audientium stupefecit et ad summam admirationem perduxit, sive



incredibili quadam vi et impetu sonoritatem quasi totius orchestrae summa voce virtuosissime clavicinans effecit, sive summa sensibilitate subtilitateque submisce canens sonos dulcissimos et tenerrimos clavili elicuit. Hoc modo

animos innumerabilium hominum sua arte divina, quae interdum magica quoque dicta est, maxima felicitate gaudioque affecit, si opera immortalia velut Ferenci Liszt, Frederici Chopin, Sergei Rachmaninow, Petri Tschaikowsky, Sergei Prokofjew, Alexandri Skrijabin, Modest Mussorgsky, Domenici Scarlatti, Roberti Schumann, Ludovici van Beethoven aliorumque componistarum recitavit. Ipse phonodiscam (3) audi- vi, in qua opus titulo "Imagines expositionis" a Modesto Mussorgsky compositum cecinit, et confiteor me neque antea neque postea illud opus umquam tali impetu et intensione cantatum audivisse.

Vladimir Horowitz in urbe Kiev in Russia, exactius in Ucraina, natus est die 1° mensis Octobris anni 1904¹. A prima pueritia musicae incubuit et parentes, qui eum in aliis quoque scientiis erudiendum curabant, statim ingenium filii cogoverunt. 17 annos natus in urbe Charkow primum in publicum prodiit. 20 annos natus in urbe Leningrad circiter 25 concertus musicos edidit neque umquam opus idem bis recitavit. Summa summarum in his concertibus plus ducentia opera musica in programmatibus eius erant.

Tum etiam in Europam occidentalem venit Vladimir Horowitz. Notus est ille eventus, quo uno momento praeclarus factus est: In urbe Germania Hamburg concertum a publico non extraordinarie observatum ediderat. Nonnullos dies post, cum ex ambulatione per urbem in deversorium reverteretur, dispensator (4) eius eum iam exspectans rogavit, ut pro alio clavicini, qui concertum editurus ex improvise morbo incidisset, primum concertum clavili in modo minore b (5) a Petro Tschaikowsky compositum recitaret. Vladimir Horowitz poculum lactis bibit, barbam resecurit, in auditorium properavit. Concertui illi prosperus successus maximus contigit. Statim alius concertus indictus est, et intra duas horas 3000 tesserae aditus venditae sunt.

Anno 1925° Berolini et Lutetiae Parisiorum, tum anno 1928° primum in America in publicum prodiit. Mox ibi sedem collocavit, et anno 1933° Wandam Toscanini, filiam celeberrimi conductoris musicorum Arturo Toscanini, in matrimonium duxit. Ex eo tempore Vladimir Horowitz frequens in America prodiit, saepe cum socero Arturo Toscanini.

Etiamsi magnus successus prosperus ei contingeret, Vladimir Horowitz interdum depressionibus animae, confectionibus

dubitationibusque sui et artis suae incidit, quid hominibus summa sensibilitate et studio perfectionis maximo praeditis, qui maxima proposita sibi ipsis statuunt, saepe accidit. Anno 1953° concertu in auditorio "Carnegie Hall" in urbe New York edito Vladimir Horowitz se retraxit in domum suam per duodecim annos, in quibus non iam in publicum prodiit. Tantum interdum phonodiscis impremit (6).

Tandem die 9° mensis Martii anno 1965° denuo concertum edidit, iterum in auditorio "Carnegie Hall". Nunc summum verticem artis suae assecutus erat, et gloria eius non iam augeri desiit.

Anno 1968° primum in emissione televisifica audiri et spectari potuit. Annis sequentibus iterum in Europam venit, etiam in Rem Publicam Sovieticam, patriam olim suam. In urbe Moskau concertum edidit. Saepius multis hominibus occasio fuit videndi eum in emissionibus televisificas.


Mihi videtur - nonnullas emissiones vidi - nunc maiore aetate magno gaudio Vladimiro Horowitz fuisse in publicum prodire. Saepe hilari animo cum musicis vel relatoribus (7) iocatus est.

Nunc manus illius viri singularis obmutuerunt. Iacturam maximam totus mundus queritur. Sed in memoria hominum, quos arte sua felices reddidit, et in phonodiscis vivit et vivet per saeculos Vladimir Horowitz, dum homines musicam amantes existant.

Daniel Weissmann

VOCABULARIUM:

1 clavicen,-inis m	Pianist/pianiste/pianist/pianista
2 clavicinare	Klavier spielen/jouer du piano/ play the piano/tocar el piano
3 phonodisca,-ae	Schallplatte/disque/disk/disco
4 dispensator,-oris	Manager/manager/manager/empresario
5 modus minor b	b-moll/si bémol mineur/b flat mi- nor/si bemol menor
6 phonodiscis imprimere	Schallplatten aufnehmen/enregi- strer sur disques/make recordings/ grabar en discos
7 relator,-oris	Reporter/rapporteur/reporter/re- portero



Vladimir Horowitz anno 1982° Londini (London)
in auditorio "Royal Festival Hall".

De Sancta Genovefa Parisiensi

Sancta Genovefa Parisiensis Severo patre Gerontiaque matre anno fere 422° Nemetoduro (Francogallice: Nanterre) in vico prope Lutetiam Parisiorum nata est. Genovefa prius puella pastoricia Sancto Germano Autisiodurensi (Saint Germain d' Auxerre, 375 - 448) suasore iam ab eunte aetate in monasterio monacharum beatam sanctanque vitam egit contemplativam precationi paenitentiaeque penitus dedicatam. Fama autem nuntiat Genovefae deprecatione Lutetiam Parisiorum urbem ab eversione per Hunnos servatam fuisse. Eam auctricem conditricem fuisse Ecclesiae Sancti Dionysii Lutetiae Parisiorum in urbe dicunt.

Diem autem suum extremum obiit Genovefa Parisiensis die 3° mensis Ianuarii anni 502¹ Lutetiae Parisiorum in urbe. Chlodovicus primus rex Francorum (466 - 511), filius Childerici, supra tumulum Genovefae ecclesiam iussit extrui, quae saeculo duodecimo a Stephano Tornacensi (Etienne de Tournai; Nederlandice: Stephan van Doornik) renovata amplificataque est. Genovefa aetae quae vocatur media in tota Francia erat una e sanctis vere popularibus. Anno 1759° "Genovefani" qui dicuntur, qui genus erant Canonicorum Regularium Sancti Augustini, novam statuere ecclesiam coeperunt iuxta veterem. Ecclesia autem ea anno 1790° tandem confecta erat, sed iam die 4° mensis Aprilis anni 1791¹ ecclesia haec immutata est in "pantheon" honoribus omnium deorum omniumque virorum nationis Francogallicae clarissimorum. Reliqua autem ossa Genovefae die 21° mensis Novembris anni 1793¹ coram publico combusta sunt scriniumque argenteum est conflatum. Pantheon autem illud omnium deum omniumque virum clarissimorum Francogalliae dedicatum ab anno 1806° usque ad annum 1830 atque denuo ab anno 1852° Dei cultum patefactum erat. Anno autem 1885° aedificium illud sacrosanctum tandem aedificium profanum factum est. Parietis simulacra ecclesiae pristinae omnibus viris doctis totius mundi pernota Petri Puvisii de Capannis (Pierre Puvis de Chavannes, 1824 - 1898) e vita Sanctae Genovefae usque adhuc salva integraque et porro contueri intentisque oculis contemplari potest.

Vetustiore ecclesia Sanctae Genovefae Parisiensis anno iam 1803° abrupta centrum cultus venerationis Sanctae Genovefae nostris his temporibus diebusque ecclesia est Sancti Ste-

phani Montis (Saint Etienne du Mont) Lutetiae Parisiorum in urbe. Dies autem memoriae Sanctae Genovefae Parisiensis dies est tertius mensis Ianuarii.

Sancta Genovefa Parisiensis in imaginibus simulacrisque semper ostenditur sicuti mulier ovium custos cum pedo (baculo pastorali), cum pera pastorali atque cum duobus clavibus urbis Lutetiae Parisiorum.

Sancta Genovefa Parisiensis patrona est Lutetiae Parisiorum urbis, mulierum pastorum, fabricatorum pilleorum petasorumque, fabricatorum facium cerearum atque vinitorum seu vindemiatorum.

Unde quidem nomen Genovefae ipsum originem traxerit, id exacte interpretari adhuc nemo umquam potuit, nam nomen illud quasi arcanum perfecte explicatum non est. Sed, quamvis res difficilis siet, quantum equidem coniectura adsequi augurarique possum, nomen illud tectum occultumque originem trahit e quadam lingua Celtica: geno = genus, vefa = mulier (conferre Theodisce "Weib"), interpretatione nominis verisimilis: mulier generis (nobilis).

AMICUS



OMNES, QVI RVMORI VARIO SYMBOLAS DIVVLGANDAS MITTATIS,
ROGAMVS

... ut et nomen et inscriptionem cursualem vestram non modo involucro, sed etiam manuscripto ipsi inscribatis. Involucra enim in domo editoria Rumoris Varii abiciuntur, manuscripta sola a nobis servantur. Cum autem alia ratione facere non possimus: qua via vobis pecuniam pro symbolis vestris Rumore Vario divulgatis anno exeunte transferamus, si nomina inscriptionesque harum auctorum non novimus? Gratias vobis maximas agimus, si huius consilii memores esse velitis, quandocumque nobis scribatis. Valet!

RVMORIS VARIII domus editoria

De Nicolai Ceausescu imperio crudelissimo

Cottidie fere e commentariis diurnis vel emissionibus radiophonicis televisificisve de rebus novis, quae fiunt in civitatibus Europae orientalis, certiores fimus. Mirantes et gaudentes audivimus primum administrum Polonensem non e factione communistica, sed ex syndicali consociatione (1), cui nomen 'solidaritatis' datum erat, esse progressum atque in Pannonia sive Hungaria multas factiones esse admissas ad vitam politicam fractamque esse potestatem factionis communisticae absolutam. Magis magisque miramur, quod populi permulti, qui vivunt sub imperio Rei Publicae Sovieticae, velut Estonienses, Lettones Lituanique, non iam tacentes sortem suam ferunt, sed incommoda aperte demonstrare et maiorem et latiore libertatem postulare audent.

Sed etiam in aliis terris Europae orientalis - "perestroicae" a Michailo Gorbatsow inceptae gratia - nova talis libertas cogitandi, loquendi agitandique florere coepit. Tantum in Dacoromania homines sub scaepetro ferreo Stalinistico regiminis crudelissimi et 'totalitaristicissimi' ducis sive "conducatoris" Nicolai Ceausescu vivere pergunt, quam si "perestroica" numquam exstitisset.

Dacoromania, quae continet circiter 23 miliones hominum, non modo est patria Dacoromanice loquentium, sed etiam Hungarice et Theodisce pronuntiantium, non modo Christifidelium orthodoxorum, sed etiam catholicorum et protestantium. Quae varietas "conducatori" Nicolao Ceausescu maximo odio est: linguae Dacoromanicae extra modum favens cupidusque ceteras linguas evellendi curat, ut ei vici agrestes, qui ab Hungaris Germanisque coluntur, diruantur, deleantur, evellantur. Imprimis ecclesiae, templa, fana, coemeteria, villae rusticae mediaevales, quae, si essent apud nos, per rei publicae decreta protegerentur et restaurarentur, ibi machinis et vi solo aequantur et domibus maximis calcestro (2) structis substituuntur, quibus saepissime desunt calefactiones sufficientes et aumatia (3) privata. Quanta miseria et quot dolores eo modo gignantur, vix imaginari potes!

Milites cum ad stipendia merenda vocantur, non pariter vel saltem similiter tractantur: Hungari Germanique vix possunt attingere gradus altiores. Etiam in universitatibus paucos

tantum Hungaros Germanosve invenies, etiam in eis regionibus, quae magna ex parte ab eis incoluntur. In scholis magistris videndum est, ne discipuli alio sermone utantur ac Dacoromanico. "Conducator" enim gentem "suam" uniformem reddere in animo habet: Sicut vicos etiam homines steriles fieri cupit.

Religionem quoque abolendam esse censens ecclesias claudi et vastari, sacerdotes et praedicantes unum tantum verbum extra templa proferentes in carcerem vel in nosocomium psychiatricum mitti, institutionem religiosam sive catechesin omnino suppressi et vetari iubet. Clerici altioris gradus, ut verum confitear, haud raro cum tyranno collaborent, ut parva privilegia, quae habent, retinere possint. Episcopi orthodoxi Dacoromani nonnulli etiam gaudent, quod catholici et protestantes per rem publicam supprimuntur. Attamen inter eos sunt, qui fortiter iniurias commissas nominare et clara voce pronuntiare audeant.

Non autem tantummodo Hungari et Germani et Christifideles cuiusvis confessionis sub dictatura Ceausescuiana graviter laborant et ingemescunt, sed etiam Dacoromani cuncti: Cum enim omnia fere, quae in Dacoromania producuntur et gignuntur, extra fines in terras alienas exportentur - ea causa, quod regimen Dacoromanum magnopere pecunia extranea (4) eget -, Dacoromani ipsi fame saevissima mordentur. In tabernis vel pantopoliis (5), in furnariis (6) et apud lanios (7) fenestrae mercatoriae (8) vacuae esse solent. Series hominum ingentes et longissimae ante tabernas cerni possunt, series autocinetarum stantium apud benzinopolia exspectant, ut paucas benzini guttulas attingant. Immo fluentum electricum non per totum diem eadem tensione per fila electrica fluere solet, quo fit, ut matronae Dacoromanae media nocte, cum sit tensio fluenti electrici altissima, coquere debeant. Sic homines somno privantur a dictatore isto, quem commentarii diurni et periodici Dacoromani neque non stationes radiophonicae et televisificae cottidie summa laude obruant.

Hieme Dacoromanis vestimenta calidissima non foris tantum, sed etiam domi gerenda sunt, quia energia non sufficit ad domos commode calefaciendas. Sed unde talia vestimenta sumant, saepissime nesciunt. Sunt - praecipue inter infantulos -, qui frigore pereant, nisi iam fame confecti diem

obierunt ultimum. Ex infantibus novis natis permulti - nimis multi - denutritione (9) moriuntur, antequam duos menses nati sint. Qua de causa infantes non ante tertium vitae mensem a regimine statisticae inseruntur, ne gradus letalitatis infantium nimis horribilis videatur. Mulieres coguntur, ut habeant quinque vel plures infantes, qui substituunt eos, qui praematuri perierunt.

Quae facta, quamvis iam paene intolerabilia sint, superantur vi politica, qua Dacoromani cruciantur. Quisquis unum tantum verbum contra condiciones vivendi vel contra modum regnandi "conducatoris" proferre ausus erit, poenis durissimis punietur. "Securitas", quae dicitur - id est grex vigilum securitati rei publicae curantium - totam terram totumque populum exploratoribus adiuvantibus custodia contineri (10) iubet. Nemo scit, quis e vicinis propinquisve sit explorator "Securitatis". Sunt, qui censeant circiter denas centesimas (10 %) incolarum Dacoromania aliquo modo cum "Securitate" collaborare. His collaboratoribus ea privilegia tribuuntur, de quibus reliqui somnare tantum possunt, id est: carne vesci, domicilia satis calefacta incolere, itinera extranea facere, etc. Quem exploratores "Securitatis" captivum duxerint, is saepe tormentis crudelissimis destituetur: Verberari, fame perire, fluente electrico vexari, calumniari aliaque tormenta physica et psychica haud raro fiunt in carceribus Dacoromanicis.

Ceterum cives Dacoromani severe vetantur colloqui cum peregrinis forte per patriam suam migrantibus. Etiam fines transgredi non licet, imprimis fines Hungaricos Iugoslavicosque. Tamen his diebus cottidie fere multi fugere conantur, quod alibi vivere quam in patria tali modo vitam degere malunt.

Ceausescu, tantae auctor miseriae, qui una cum familiaribus suis divitiis ingentissimis fruitur, uniuscuiusque rei est particeps, cuius particeps esse voluerit. Pecuniam non in miseriam incolarum leniendam, sed in ipsius luxuriam augendam largitur. Tamen per tabulas giganteas, per libros, per carmina, per commentarios diurnos perque emissiones radiophonicas televisificasque semper semperque servator patriae glorificatur, amplificatur, laude obruitur quasi esset deus. Pro religione, quam evellere cupit, idolatriam sui ipsius inducere in animo habere videtur.

Quid hoc ad nos? Primum: Maxime necessarium est haec facta nota fiant apud nos. Deinde: Producta ruralia Dacoromanica apud nos ne veneant neve emantur. Tertium: Alimenta ad vitam necessaria in Dacoromaniam mittamus. Quae mitti liceat et cui, de hac re certiores fieri poterimus per instituta adiutoria velut CSI (Christiana Solidaritas Internationalis; Forchstr. 280, 8008 Turicum (Zürich), Helvetia) vel G2W (Fides in Secundo Mundo; Bergstr. 6, 8702 Zollikon, Helvetia). Quartum, sed non ultimum: Pro populo Dacoromanico semper semperque oremus. Quintum: Litteras mittamus vel ad Nicolaum Ceausescu ipsum vel ad eius legatum Bernae habitantem postulantes, ut condiciones vendi in Dacoromania statim et fundatim commutentur. Sextum: Epistulas quoque scribamus captivis politicis eorumque familiaribus. Nam qui noti sunt apud nos, a regimine minus crudeliter tractantur quam plane ignoti. Inscriptiones captivorum et captivarum (ne mulieribus puellisve quidem parcitur) cursuales apud eadem instituta adiutoria accipi possunt, quae supra memoravi. Fortiter speremus res mox in Dacoromania quoque mutatum iri!

Martinus Meier

Vocabularium:

- | | |
|---------------------------|--|
| 1 consociato syndicalis f | Gewerkschaft/syndicat/trade union |
| 2 calcestrum,-i n | Beton/béton/concrete |
| 3 aumatium,-i n | Toilette/toilette/lavatory |
| 4 pecunia extranea f | Devisen/devises/foreign bill |
| 5 pantopolium,-i n | Warenhaus/magasin/department stores |
| 6 furnaria,-ae f | Bäckerei/boulangerie/bakery |
| 7 lanus,-i m | Metzger/ boucher/butcher |
| 8 fenestra mercatoria f | Schaufenster/étalage/shop-window |
| 9 denutritio,-onis f | Unterernährung/sousalimentation/underfeeding |
| 10 custodia contineri | überwachen/surveiller/to control |

SVBNOTO RVMOREM VARIVM
(Ich abonniere RVMOR VARIVS)


SVBNOTO RVMOREM VARIVM DONO
DATVM ALICVI
Factura subnotationis mittenda est ad adressam infra stantem.
(Ich abonniere RVMOR VARIVS für mit Rechnung an:)

Datum und Unterschrift

RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach

8050 Zürich

Hic solutionem inscribe et charactam mitte!



Nomen emittentis et inscriptio cursualis:

AZ

8050 Zürich

5+ 6 / 89

IDIBVS DECEMBRIBVS

MCMLXXXIX



RVMOR VARIVS



RVMOR VARIVS
c/o AKAD
Postfach
8050 Zürich

TOMVS 12

FASC. 79/80